

S E R E N I S S I M O
P R I N C I P I
AC
D O M I N O D O M I N O
M A X I M I L I A N O
P H I L I P P O

Utriusque Bavariæ & Super. Palat. Duci,
Landgravio Leuchtenbergico &c.

D O M I N O S V O C L E M E N T I S S I M O .

S E R E N I S S I M E
P R I N C E P S

D O M I N E , D O M I N E C L E M E N T I S S I M E .



On veniunt ista SERENITATI TUÆ à peregrino
aut ignoto; utpote quem jam triginta abhinc an-
nis in *Architectura Militari* habere dignata est in-
structorem. Certè insignis TUA capacitas in re-
bus Militaribus, ansam mihi præbuit etiam *Artifi-
cium Geographicum* in hoc Libello expressum
TUIS consecrandi honoribus & dedicandi obse-
quijs. At hoc ipsum TIBI non offero ut discipu-
lo, sed ut artis hujus jam perito ac veterano Magi-
stro: Si enim totius *Architectura* fundamenta legésque manu TUA
formis

formis ac figuris aptissimis non tantum in charta vulgari, sed etiam
pergamenā icitissimè expressisti, quis dubitet, id ipsum TE præstitu-
rum in *Geographicis*? cùm vix sit major Labor & Artificium in desig-
nandis Chartis *Geographicis*, quām in *Munimentis & Fortalitijs Mili-
taribus*: Præfertim cùm Geographia & Ars Militaris magnam inter se
habeant convenientiam & affinitatem; una námque indiget alterā, &
una præstat alteri utile obsequium. *Topographia* est accurata & vera
loci alicujus exhibitio: at quo modo potest Geographus legitimam &
veram loci alicujus muniti exhibere formam & faciem, si non intelli-
git, quid intersit inter opera *Militaria Interna & Externa*, inter *Semi-
lunam & Ravelinum*, inter *Forcipulas & opera Cornuta & Coronata*,
inter *valla* superiora & inferiora &c. Unde Geographus perfectus
non est, qui nullam habet Architecturæ *Militaris* notitiam: iam enim
destituitur unâ parte Geographiæ, quæ est pulcherrima & utilissima,
nempe *Topographiâ*. In *Chorographicis* quidem satis est, rudiori Mi-
nervâ aliquam munimenti exhiberi similitudinem; at hoc non suffi-
cit in *Topographicis*, quæ accuratam locorum exhibitionem exi-
gunt.

E contrario *Ars Militaris* sæpius impingit ac deficit, ubi Geogra-
phiā in consilium non adducit. Dux exercitus, si exploratam non
habet loci conditionem sitūmque: nempe circum vicinos montes, syl-
vas, lacus, paludes, flumina, pontes & transitus arcanos, incautus pla-
nè iter aggreditur, inconsultus castra metatur, & temerarius cum hoste
conflict: unde *Chorographiæ* sunt illi per quam utiles; at *Topographia*
propemodum necessariae; priores námque potiora quidem & remotio-
ra subindicant, posteriores autem singula etiam minutiora ad verum
exprimunt, & ad oculum repræsentant. Certè Militiæ Dux, qui ante
conflictum flumen aliquod, pontem aut collem prævidit, & hosti præ-
ripuit, magnum victoriae momentum præmisit. Præterea *Arti Mi-
litari & Geographica* ubique se miscet etiam *Historia Militaris & Poli-
tica*, utramque suppeditant Libri, & ipsa Experientia: utraque TIBI,
PRINCEPS SERENISSIME, familiaria sunt; Libri quidem multūm
TE occupant, hi TUA sunt otia, quibus tempus fallis, & TE eruditum
reddis: Experientiam suppeditavit totius Bavariae *Administratio*, quam
summâ cum Prudentiâ & omnium subditorum plausu & satisfactione
gesisti. His præmissisti jam olim etiam *Amœniores litteras*, quarum
peritiam in eleganti *Centuria Emblematum* ingeniosè concinnatorum
& typo

& typo impressorum demonstrasti. Denique horum omnium Coronis Principalis est insignis *Tua virtus & Pietas*, quam à Serenissimis ac Pientissimis *Proavis, Avis & Parentibus* hæreditariam accepisti, & adhæc usque tempora, non sine incremento fartam tectamque conservasti. Atque haec cùm palam sint, & in ore omnium, ea hic dissimilat integrum mihi non fuit. Vive porro, SERENISSIME PRINCEPS, quam felicissime, & has meas pagellas, ut alias solebas, oculo benigno aspice, atque evolve, quas TIBI iterato demississime, Dico, Dedito, consecro. Monachij 15. Augusti. Anno M. DCCIII.

Serenitatis Tuæ

Obsequientissimus atque Obsequiosissimus

H. S. Soc. JESU.

